



Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Doctrina 4. Desumpta ex cap. 6. Danielis Prophetæ, in quo describitur Danielis à Rege honorati falsa accusatio, à satrapis facta: & inde secuta damnatio ejus ad Leones, à quibus tamen servabatur ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

omnibus exutum, nullius nisi Dei memoriam fovere, in quem solum suam nunc reponeret fiduciam, non ambigens: fore se exaudiendum. Fiducia in Deum jaeta sagittam Jonathæ imitatur, quæ semel emissa, nunquam rediit vacua. S. Paulinus dicere consueverat: teste Pædagogò p. 2. c. 23. §. 6. Illi, qui spes suas in Deo collocavit, sunt telæ aranearum præ fortissimis mœnibus: sicut econtra, qui humana nititur fiducia, nonnisi aranearum telæ instar sunt fortissima mœnia. Quare Christiane Lector: *spera in Domino Deo forti in perpetuum.* Sub illius arboris umbra securos ages dies, quam Sponsa in canticis suis ex omnibus selegit arboribus, asserens cap. 2. v. 3. *sub umbra illius, quem desideraveram sedi &c.*

Porro dum capite 5. legis: Regem Baltasar inter medias epulas cernentem digitos quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie candelabri &c. tantò percussus esse tremore, ut compages renum ejus solverentur, & genua inter se colliderentur. Cogita: quantò terrore homines tunc obruendi sint, quando non umbraticè apparens digitus, sed integra Dei manus, rigorosæ Justitiæ stringens gladium dabitur aspicienda? & illud propheticum implebitur Vaticinium Psal. 73. decantatum: *leva manus tuas in superbias eorum in finem?* Christus Dominus in Monte Olivarum à Judæis ad necem quæsitus, nunquam contra eos moverat digitum unum, sed blandâ voce & serenâ fronte ipsis obviam factus, dixit Joan. 16. *ego sum.* Et hem! ceù tonitru percussi, *abièrunt retrosum.* Quod factum expendens S. Augustinus exclamat: *quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit?* hinc Christiane Lector, time nunc comminantis Dei digitos, ne experiri debeas in extremo Judicio percipientis Dei integram manum.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 6. Danielis Propheta, in quo describitur Danielis à Rege honorati falsa accusatio, à satrapis facta: & inde secuta damnatio ejus ad Leones, à quibus tamen servabatur illesus.

N. 407. *Considera:* **T**Antam fuisse Pietatem Danieli inter impiissimos homines versanti, ut nec latum unguem à divinis deflexerit mandatis. Ex hac autem tam exacta legis Sacræ observantia, Æmuli satrapæ antiam sumpserunt, eum accusandi, dicentes v. 5. capituli cit.

cit. non inuenimus Danieli huic aliquam occasionem, nē forte in lege Dei sui. Siccine in culpam imputetur Danieli, cum sine culpa in observandis Dei sui mandatis vivere? o Christiane! qui tot piorum quotidianis exemplis, tot concionatorum verbis, tot Patrum Spiritualium hortamentis ad observantiam divinæ legis impelleris: quid quæso responderis in tremendo Judicio, quando æmuli tui Dæmones contra te insurgent, te accusaturi non de observantia, sed de neglectu hujus legis? erat (ut jam alibi memini) Lex Mosaica onus grave, & tamen adeo scrupulosè per Danielem adimpleta, ut gravissimæ sibi conscientiæ duxisset, vel minimum etiam apicem solvere, & tu leges illas, quæ non nisi jugum suave & onus leve sunt, toties ex integro transgrediaris? audi quæso pulcherrima Simonis Cass. lib. 12. c. 1. in Joan. scribentis verba: quis causabitur Christi non servare mandata? cum nihil prohibeat, nisi quod est nature contrarium, moribus absonum, anime corporique nocivum? quis se continere non poterit à ruina, cum continendi per existentiam, quam habemus in Christo sit data facultas? quis se proteget excusationis suffragiò non perficere mandata nature consentanea, & ipsam ultra, quam sit condita, decorantia? quomodo impossibile dicitur, quod de sui natura bonum, quod utile, quod pulchrum, quod est aptum, quod est gratum omnium creatori? quod ipsum conservatorem provehit ad superna? in quo ad Christum posita & probata dilectio: quia servans mandata mea ille est, qui diligit me, cui tanta vicissitudo dilectionis à Domino redditur. Hucusque præfatus Author. O quam absurda, quam sanæ rationi contraria, quam corpori & animæ nociva Mundus, caro & Dæmon tibi præscribunt mandata; & tamen tam promptè ipsis sæpè obtemperas? adhæc non tantum piissimi Danielis, sed immanium quoque bestiarum, leonum videlicet, exemplum tibi confusio est, quos constat: ad mandatum Dei à devorando Daniele retraxisse dentes; etsi maximâ urgerentur fame. Quid ergo ad has objectiones tibi in judicio formatas responderis?